

**In Hoc Libello Pontificii Ora||toris continetur legatio, in  
co[n]uentu Norembergensi,|| Anno. M. D. xxij. inchoato,  
sequenti vero finito ex-||posita, vna cum instructione ab  
eodem legato|| ...**

**Hadrian <VI., Papst>**

**Norembergæ, 1523**

**VD16 K 320**

70 Qvibvs Artibvs Ivdices Ecclesiastici causas promiscuas, quæ coram  
ciuili etiam magistratu in iudicium deduci possunt, sibi solis vendicare  
conentur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65406](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-65406)

Deinceps quum inter virum atq; fœminam de pangen-  
dis matrimonialibus sacris illis fœderibus , negocium quod  
inter eos forte agebatur, eosq; processit, q; ab alterutra parti  
um matrimonij contractus, ex pactionibus illis, ratus, perfe-  
ctusq; prætendatur. At inficietur altera, datumq; est, ab alte-  
ra alteri personæ vestium, aut alioqui mundi muliebris quid-  
piam, tanq; arrabonis loco, adseruandum ac custodiendum.  
Accidatq; deinde, vt asserti contractus matrimonij, s. contem-  
platione cōtrahentes, ad ecclesiasticum perueniant tribunal,  
ac ibidem per sentētiā, in diuersum ire iubeantur, separen-  
turq;. Tum iudex ille ecclesiasticus inique hoc sibi in hac cau-  
sa prætendit interesse. Nimirum, vt omne quicquid hinc inde  
arrabonis vice traditiū sit, vt hoc sibi cedat tanq; cōmissum.  
Id quod nedum contra omnia iura, sed & æquitatem atq; ho-  
nestatem ipsam proculdubio est.

QVIBVS ARTIBVS IVDICES ECCLESIASTICI  
causas promiscuas, quæ coram ciuili etiam magistratu in iu-  
dicio deduci possunt, sibi solis vendicare conentur.

Item, licet complures sint cause ita promiseq; iurisditio-  
nis, vt scđm iura cōmunia apud ecclesiasticos atq; ciuiles iu-  
dices agitari & puniri possint, sæpiuscule tamen euenit, vt  
quum ciuiles iudices, cōcessam sibi hac in re prouinciam &  
iurisdictionē administrare atq; exercere velint. Quod id ipm  
ne faciat per iudices ecclesiasticos, sub excōmunicatiōis pœ-  
na eis interdicitur, prohibeturq;. Quod si diutius præstare  
deberet, breui ecclesiastici iudices a ciuili magistratu, eiusq;  
iurisditioē quascūq; etiā causas eximerēt, stiçq; assererent dis-  
tioni. Id quod Cæsareæ Maiest, ceterisq; Imp. Romanī mem-  
bris graue est, & intolerabile. Et quanq; scđm iura commu-  
nia, manifesta periuria atq; adulteria, maleficorumq; præstiz-  
giæ, ac consimiles aliæ causæ, per Ecclesiasticos ac ciuiz-  
les iudices, promiscuum, vter occuparit, ciuiliter pro tempo-  
re plecti possint, habeatq; ita præuentio hac in re locum. At

F ij



tamen ecclesiastici iudices contra omnia iura, causas huiuscmodi, solis sibi, suæq; iurisdictioni usurpare conantur. Quod ipsum iurisdictioni ciuili nō ferendum est onus ac grauamen.

Q V E M A D M O D U M C A V S A E P R O P H A-  
næ sub prætextu, denegatæ executionis ad ecclesiasticorum  
consistoria trahuntur.

71 Item si quādo personæ laicæ in causis etiam omnino prophanis, a iudicibus ecclesiasticis citationes impetrare conentur, prætendantq; magistratum ciuilem, debitā sibi iuris executionem facere neglexisse, anteq; summarie saltem per eiusdens aliquod docuerint instrumentum, iustitiam, vt queruntur, sibi denegatam, citationes tamen, atq; alij iudicarij processus a iudicibus ecclesiasticis ad solam potentium quarelā his decernuntur. Qz si deinceps ad petitionem, vel ciuilis iudicis, aut partis in ius vocatæ, causæ huiuscmodi ad ordinariū tribunal remittantur, præfigitur, ciuili iudici per breve quatuor hebdomadarum, puta tempus fatale, intra quod actoris intentioni & quærimoniæ ex integro, atq; ex asse executionis ordine satissimaciat. Ac si in arctissimo ita p̄stituto termino, sententia diffinitiua, aut non fertur, vel executioni lata non mandatur, libertatem dehinc iudex ecclesiasticus dat actori laico, coram suo tribunalī, vltierius procedendū, fitq; non raro, (mirum hoc auditu) vt causa, quæ intra mensis spaciū coram ciuili consistorio agitari, peragiq; debebat, q; hæc eadem apud ecclesiasticum iudicem triennio, aut eo amplius pendeat, hinc indecisa.

72 Aiunt præterea iudices ecclesiastici, in talib⁹ casibus, prophanas ad se causas pertrahere sibi licere, si magistratus ciuili in administranda iustitiae executione negligens inueniatur: e regione tamen ferre minime possunt, vt in pari casu idem iuris cum eis seruetur. Nimirum vt in causis ecclesiasticis quispiam de neglecto cultu iustitiæ ab ecclesiasticis apud laicos, aut ciuiles magistratus conqueri, ac iustitiam sibi per